



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

47 Bona clericorum, qui dum viverent, scandalosè se gerebant, an veniant  
in spolio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

gore alternativæ ipsi concessis, in quibus cessat reservatio; quia, cum constitutio spoliatorum sit limitata pro fructibus beneficiorum reservatorum, non potest extendi ad non reservata, quia limitata causa limitatum parit effectum *l. cancellaverat ff. de h. quæ in test. del.* & Menoch. *cons. 24. num. 19. lib. 1.* Spolium enim est odiosum, & in odiosis non fit extensio, *c. odia de reg. jur. in 6.*

47 An autem bona ꝑ decedentium beneficiatorum, qui, dum in humanis agerent, aleatorum, concubinatorum, sanguinolentorum, tabernariorum, venatorum, aut alias lascivam, & damnatam vitam agebant, veniant in spolio, stante, quod acquisita per modos ecclesiasticis per sacros canones prohibitos cedunt spolio ex allegatis supra, sub num. 40. est distinguendum, quod ad patrimonialia, aut ex donatione, testamento, vel ab intestato acquisita non venire; quia cum prædicta sint prohibita, & criminosa, mortua persona, extinguitur actio; ꝑ quoniam actiones descendentes ex quasi delicto non transeunt ad hæredes, *Bart. in l. si filius familias iudex, num. 1. ff. de judic.* Et pari modo, si beneficiatus habet amplos redditus bonorum stabilium laicalium, & tenues ecclesiasticos non excedentes summam triginta ducatorum. Quia, si bona acquisita relinquit, præsumuntur ex redditibus bonorum laicalium quæ sita, cum à communiter accidentibus aleatores, concubinatorij, tabernas frequentantes, venatores, aut aliàs vitam malè, & contra sacros canones ducentes, bona non acquirant, sed consumant; quapropter præsumuntur licitè, & non illicitè acquisita.

49 Unde ꝑ cameræ alleganti contrariam

onus probandi incumbit, quia præsumptio transfert onus probandi in adversarium, *l. generaliter, § si petitur. ff. de fideicommiss. liber.* & Menoch. *cons. 54. num. 6. lib. 1.*

50 Ob non residentiam ꝑ Pius IV. sua constitutione perpetuè valitè statuit, & ordinavit, quod omnia, & singula bona mobilia, immobilia, & se moventia, res bona, jura, & actiones cujuscunque qualitatis, & valoris ac ubicunque locorum consistentia, ad quoscunque ecclesiasticos, quavis auctoritate, dignitate, gradu, & præminentia, extra residentiam decedentes, pertinentia, etiam si facultatem specialem de illis, aut eorum parte testandi, & aliàs liberè disponendi obtinuerunt, ac de bonis, & rebus hujusmodi disposuerint, tanquam spolia ad cameram Apostolicam legitimè pertinere, *ut in eadem constitutione sub datò Romæ 1564. septimò Kal. Decembris, in eadem Bull. Rom. c. 115. clausula, sublata, & decreto irritanti, de super adjectis, & in pœnam non residentium, ultra alias pœnas contra non residentes, à sacro concilio Tridentino inflictas, ut in c. 1. § 2. de reform. sess. 6.*

51 Apostatarum ꝑ etiam Regularium extra claustra degentium bona quæcunque per dictos regulares extra claustra ecclesiarum, monasteriorum, domorum, & quorumcunque regularium locorum degentes, quocunque jure, & actione, sive ea causa testati, sive intestati acquisita, & in posterum acquirenda, vel ad eos delata in quibusvis Provinciis, dominiis, Regnis, & locis consistentibus, nisi iidem, ad quos illa spectarent, sufficienti essent testandi, aut de illis disponendi facultate suffulti, eaque legitimè usi fuissent, ad cameram Apostolicam